

45.



DECRETUM
SALUBERRIMÆ FACULTATIS PARISIENSIS.



ANNO Domini millesimo septingentesimo trigesimo-quinto die octavo Januarii, per Schedulam, ut moris est, convocati sunt Doctores Medici omnes in Scholas superiores, horâ decimâ matutinâ, post Sacrum, de rebus ad Facultatem pertinentibus deliberaturi. In his Comitiis exposuit Decanus edicto Regio anni 1707, juberi ut quater in anno Philiatri inscribantur. At quoniam istud cæterarum Academiarum Facultatibus Medicis tantum præcipitur, postulavit saltem, quemadmodum habetur articulo tertio novorum Statutorum Curiæ placito anni 1696, firmatorum, ut teneantur Philiatri bis in anno nomen suum in Commentariis Facultatis solutis solvendis inscribere, & præterea ut inscriptionis primæ

terminus ad Natalitia Domini ſolummodò excurrat, ſecundæ verò ad diem octavum poſt Paſcha : quibus perpenſis & rogatis Sententiis, Facultas bono publico intenta, & Philiatros Profeſſorum lectionibus aſſiduè intereſſe cupiens, unanimi conſenſu cenſuit, illos bis in anno in Facultatis Commentariis inſcribendos eſſe, & inſcriptionis utriuſque terminos à Decano propoſitos ratos haberi; Quin & Profeſſores litteras teſtimoniales Studiorum concedere deinceps non debere, niſi pro eo tempore quo Diſcipulos in dictis Commentariis inſcriptos eſſe ipſis per Decani teſtimonium conſtiterit : & ne aliquis errori locus ſit, decrevit prohibendum eſſe ne Profeſſores deinceps dictas Litteras Philiatris concedant, eaſve obſignent priùs, quàm ipſis de inſcriptione conſtet, quod Decanus non modo appoſito Chirographo teſtabitur, ſed etiam addito minori Facultatis Sigillo; atque ut deinceps nullus hujus Decreti ignorantiam prætexat, illud Typis mandandum eſſe & Scholarum Valvis affigendum voluit, & ſic concluſit Decanus,

RENEAUME.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1735.